

in der Verteidigung der Kirche auszu-
harren. (1118 vor April 14).

Abschrift des 12. Jh. (wie n. 1).

C(un)o Prenestine ecclesie humilis minister et sancte ecclesie Romane^a legatus dominis carissimis et uenerabilibus F(rideric)o Coloniensi et A(dalberto) Mogontino gratia Dei archiepiscopis Christum in medio eorum. Epistolam prolixam vobis modo scribere non potuimus propter diem Passionis atque Resurrectionis, qui nobis ad presens imminet, sed tamen licet ualde breuiter ea, que nobis nouiter a sancta Romana ecclesia ueraciter relata sunt, uobis intimare studuimus. Audita itaque morte sancte memorie patris nostri P(aschalis) pape, ad cuius sepulchrum Deus per suam misericordiam claudis gressum, cecis uisum reddidit, rex Alemannie H(einricus), totius ecclesie tyrannus et hostis, gausus est ualde tum de eius morte tum de domini Iohannis Caetani^b electione, qui semper parti eius fauere solebat, quia sic tandem omnem Romanam ecclesiam sibi subiugare [speravit^c]; sed gratia Dei longe aliter contigit quam estimauit. Cum uero rex tanto gaudio^d properaret ad Urbem, domnus Iohannes supra memoratus communicato consilio catholicorum longius ab Urbe ad tuta loca se contulit et nullum colloquium uel pactum secum habere uoluit, nisi omnem ecclesie inuestituram et ancillationem dimitteret secundum hoc, quod sancte memorie patres Greg(orius) VII, Ur(banus), Pascal(is) a patre suo et ab illo exigebant. Hec est autem mutatio dextre excelsi, quod ille, qui quondam regem adiuvabat, inuestituram defendebat, modo resistens usque ad sanguinis effusionem inuestituram predicare non cessat. Sic in monte Libani cedrus alta quondam aliquantulum quassata firma radice erecta remansit et in Romana ualle illi pessime regali cicute se conformari despexit. Hoc uidens impius rex, quod nullo modo ad sua^e eum reuocare posset, doluit ualde et facta sunt Heinrici^f istius nouissima peiora peioribus in tantum, quod, sicut quondam pater eius Wibertum heresiarcham atque idolum posuit

a) Romanus.

b) Korr. aus 'Gaetani'.

c) 'speravit' ergänzt.

d) retanto gaudia.

e) suam.

f) In der Hs. steht an dieser Stelle Iohannis; aber die aus Luc. 11, 26 bekannte Redensart ergibt doch nur dann einen Sinn, wenn hier ursprünglich der Name Heinrichs gestanden hat; deshalb korrigiere ich so.